

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3171

**Auteur(s)** : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Sées, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1149

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Confirmation par le comte Guillaume des biens et privilèges de l'abbaye de Saint-Martin de Sées.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta Ecclesiae Sagiensis, n° X, col. 163-165.

b. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° XLV, p. 67-71.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir BRUNEL, p. 67, n. 3.

Texte établi d'après b

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Willelmus, comes Ponthivii, pro salute anime mee, et pro anima Philippi, filii mei, et Roberti, patris mei, et Rogerii, avi mei, et Mabilie comitisse, uxoris ejus, et aliorum predecessorum meorum, et pro salute etiam dominorum meorum, concedo et confirmo Deo et sancto Martino de Sagio et monachis ibidem Deo servientibus et servituris omnia sua tenementa et libertates, que ipsi monachi habent in tota terra mea de donatione et concessione Rogerii comitis, et Mabilie comitisse, uxoris ejus, et aliorum antecessorum meorum, scilicet in ecclesiis, in decimis, in hominibus, in terris, in pratis, in nemoribus, in molendinis, in aquis, in consuetudinibus, et in omnibus rebus aliis, et etiam omnes elemosinas quas mei barones et milites et homines de tota terra mea predicto sancto Martino dederant et concesserant, et omnes emptiones quas predicti monachi fecerant. In primis itaque concedo eis et confirmo ipsam ecclesiam Sancti Martini et burgum ipsius, et vicum Mansesium cum omnibus que eis pertinent, tam in consuetudinibus quam in aliis rebus, et ecclesiam Beate Marie de Platea cum decima totius parrochie, et ecclesiam Sancti Petri de castello Sagii, et quadraginta solidos Cenomannensis monete in prefectura mea Sagiensi, et duas nundinas in duabus festivitatibus sancti Martini. Concedo etiam ipsis monachis et confirmo ecclesiam Beate Eulalie de Aubrou juxta Sagium, et ecclesiam Sancti Audoeni de Villers et ipsum manerium de Villers cum hominibus, terris, pratis et omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Pardulphi de Bureria cum decima et pertinentiis suis, et molendinum de Bureria, et unam carrucatum terre juxta Montem Gomicum, cum hominibus, pratis, et pertinentiis suis, et duas carrucatas terre juxta Trumum, et unam carrucatum terre in Hambona juxta Alertium cum pratis pertinentibus. Insuper concedo et confirmo Deo et sancto Martino molendinum de Maceio et communem molturam tam de meis quam de suis hominibus, ita tamen quod si meum molendinum de Rocha non habeat quid molat, custos molendini

abbatis ibit ad molendinum meum de Rocha et, si ibi tres saccos invenerit, tertium accipiet, si vero molendinum abbatis non habeat aquam ad molendum proprium bladum abbacie, famulus abbatis exclusam molendini mei de Rocha licenter extrahet ad ipsum bladum molendum. Concedo etiam et confirmo Deo et sancto Martino meteariam de Bordis cum terris, pratis et omnibus pertinentiis suis, et quidquid monachi habent in parochia de Maceis in hominibus, terris, pratis et in omnibus aliis rebus. Preterea concedo predictis monachis et confirmo capellam de Sancto Paulo cum hominibus, terris, pratis, aquis et omnibus pertinentiis suis, et nemus quod dicitur Noa Sancti Martini, quod est situm inter Sartham et Paillerotam, et totam terram et prata que sunt inter utramque aquam, a Mara Alvosa usque ad illum locum in quo torrens Paillerote intrat in Sartham. Concedo etiam eis licentiam piscandi a molendino Sancti Pauli usque ad illum locum ubi aqua Paillerote intrat in Sartham. Concedo etiam eis nemus de Menilgaut, solutum, et liberum, et quietum, et absque ullo gravamine et sine aliqua consuetudine, cum hominibus, terris et pratis que sunt inter Vandam et viam Alertii, et molendinum quod est juxta idem nemus. Insuper concedo eis et confirmo Martellum Vollogium quod est in nemore Scoparum, et decimam pasnagii ejusdem nemoris, et sex solidos cenomannensium de herbagio ejusdem nemoris, et quittance pasnagii et herbagii suorum porcorum in eodem nemore Scoparum, et in omnibus aliis forestis meis quittance pasnagii porcorum dominorum et famulorum suorum. Ad ipsam vero ecclesiam, et ad omnes domos suas faciendas et reficiendas, et ad calfagium suum, dono et concedo prefatis monachis in nemore meo Scoparum, et in nemore meo de Gouffer, et in Bursa, et in Blavon, et in Persenia, omne nemus quod eis necessarium fuerit, in eo scilicet nemore quod utilius eis videbitur, nec pro his in aliquo debitores erunt famulis vel forestariis meis. Concedo etiam ipsis monachis duellum suum et sanguinem suum et suum latronem, et catalla latronis, si fugerit vel deprehensus fuerit, ita libere et quiete sicut ego et antecessores mei habuimus, salvo quidem regio jure. Dono etiam et concedo eis consuetudines de omnibus hominibus qui vendunt et emunt super terram suam, et quittance per totam terram meam omnium consuetudinum suarum, tam ipsis quam dominicis suis famulis. Si vero mei homines vel famuli mei de hominibus Sancti Martini clamorem fecerint, et jus habere voluerint, abbati vel baillivo suo clamorem facient, et in curia abbatis jus accipient, nec pro aliquo homines Sancti Martini Sagiensis in curiam meam ducentur, nisi prius abbas defecerit a jure. Quas prefatas donationes et consuetudinum libertates Rogerius comes, avus meus, fundator ipsius ecclesie, et uxor ejus, Mabilia comitissa, Ivone, episcopo Sagiensi, concedente, in puram et perpetuam elemosinam donaverunt Deo et sancto Martino Saggi et monachis ibidem Deo servientibus et servituris. Et ego Willelmus, comes Ponthivii, pro salute mea et parentum meorum et anima Philippi, filii mei, quem ipsi monachi in suo capitulo sepelierunt, cum his omnibus supradictis dono, concedo, et confirmo prefatis monachis meis ecclesiam Sancti Johannis de Sancto Paulo, cujus molendini medietatem totius molture habent de donatione antecessorum meorum, et medietatem omnium piscium in avaleson captorum, et alnetum quod est inter Sartham et torrentem Paillerote, et ecclesiam Sancti Stephani de Novo Castello, cum hominibus et pertinentiis suis, ecclesiam quoque Sancte Margaritha de Bellovidere, et ecclesiam Sancti Petri de Monsor, et duas partes decime ecclesie de Barunderia. Insuper dono et confirmo eis decimam molendini de Essaio, et decimam molendini de Merula. Concedo eis vivarium meum de Rocha ad piscandum in Natali Domini, in Pascha, in Pentecosten, in anniversario Roberti, patris mei, et Rogerii comitis, et Mabilie comitisse, et Philippi, filii mei, et Roberti abbatis, et utroque festo sancti Martini, et in anniversario meo omnia vivaria mea ; itaque in singulis terminis habebunt illud vivarium per unum diem et noctem. Et ut predicti monachi hec omnia predicta in puram et perpetuam elemosinam ab omni servitio et exactione liberam et quietam in perpetuum teneant et possideant, ego Willelmus, comes Ponthivii, presenti carta et sigilli mei testimonio confirmo. Facta est hec charta anno ab incarnatione Domini M C XLVIII, testibus his : Rogerio archidiacono, Henrico archidiacono, Angeranno Oysum, Gervasio de Mesdavi, Philippo de Morlay, Johanne de Cleray, Rogerio decano, magistro Christiano, Roberto de Crucifixo, et aliis.